

288. Ad Laudes autem, quae dicuntur tanquam Hora distincta a Matutino, praeponi debet *Pater* et *Ave*, iuxta Rubricam illam: *Ante omnes Horas, praeterquam ad Completorium, dicitur secreto Pater noster et Ave Maria*; hoc autem non valet pro recitatione choralis nocte Nativitatis Dominicae.

289. Quoad Nocturnos vero, licet separatim dicantur, quum non censeantur tres Horae, sed tanquam una Hora habeantur, necesse non est eis praemittere *Pater* et *Ave*, nec concludere cum Collecta et Oratione dominicali etc.¹.

290. Obligatio dicendi Preces finales ac Antiphonam finalem B. M. V. flexis genibus tantum pro Choro valet², sunt tamen laudandi qui hoc etiam in privata Officii recitatione observant.

291. Si quis in privata recitatione ex oblivione vel inadvertentia aliud Officium dixerit, diversum ab illo quod iuxta Rubricas recitari oportebat, nequaquam Officium omissum ad aliam diem remittere debet, ne bis erret, sed prorsus illo anno illud praetereat. Neque si eadem die advertat errorem, Officium repetere tenetur: Officium enim pro Officio valet.

292. Idem dicendum de parte quacumque Officii, iuxta aliud axioma: Error corrigitur, ubi deprehenditur. Ex quo sequitur, quod advertendo errorem in decursu recitationis, satius est reliqua recitare de Officio debito, finito tamen Psalmo vel Oratione.

293. Cavendum tamen a tali errore seu inadvertentia, nam vix unquam sine culpa erit, praesertim si quis Calendarium penes se habet.

¹ Vide Cavaler. t. 2, c. 24, d. 1, n. 10.

² S. Rit. C. 17 Iunii 1873.

PARS TERTIA

De Sacrificio Missae.

ARTICULUS I.

DE SACRIFICIO MISSAE IN GENERE

CAPUT I.

DE REQUISITIS AD CELEBRATIONEM MISSAE.

§ I. — *De loco et tempore celebrandi Missam.*

294. Ordinarius locus celebrandi Missam est Ecclesia consecrata vel saltem benedicta.

295. Licet etiam Missam celebrare in Oratoriis publicis et privatis, servatis servandis.

296. Licet Missam celebrare, cum et etiam absque licentia Episcopi, si absens sit et difficulter adiri possit, ante fores Ecclesiae in maximo populi concursu, in bello pro exercitu, in littore maris, item ex privilegio in navi pro navigantibus, modo absit periculum irreverentiae et subversionis Calicis ex vehementia maris aut tempestatis.

297. Ecclesiae et Oratoria consecrantur ab Episcopo, et, si polluta sint, ab ipso solo vi iuris reconciliari possunt. Simplex Sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apostolicae Ecclesiam consecratam reconciliare potest.

298. Ecclesia tantum a Sacerdote benedicta reconciliari potest a simplici Sacerdote, cum et etiam absque Episcopi licentia, si facile haberi nequeat.

299. Missa celebrari potest omnibus diebus, excepta Feria VI maioris Hebdomadae, in qua omne Sacrificium est interdictum, et Feria V in Coena Domini et Sabato sancto, in quibus Missae privatae prohibentur.

300. Missae privatae celebrari possunt quacumque diei hora, ab aurora usque ad meridiem.

301. Aurora non est physice sumenda pro licita Missarum celebratione, sed moraliter et politice, quando scilicet terminari solet hominum quies et inchoari labor iuxta probatam regionum consuetudinem¹. Sicut autem aurora, ita et meridies eodem modo intelligendus.

302. Missam notabiliter ante auroram inchoare, ita ut ante auroram ipsam absolvatur, aut inchoare post meridiem, illicitum est, nisi adsit ratio relative gravis, v. g. necessitas audiendi Sacrum, administrandi S. Viaticum, iter faciendi, etc. vel privilegium, dispensatio aut legitima consuetudo, praesertim posticipandi Missam, ut fit praecipue in magnis urbibus, ubi diebus festis ultima Missa hora una post meridiem incipit.

303. Nocte Nativitatis Domini unam tantum Missam celebrare licet, et quidem solemnem; Missae vero pri-

¹ S. Rit. C. 17 Septemb. 1634.

vatae (ac Communio Fidelium) media nocte prohibentur, nisi adsit dispensatio vel privilegium.

304. Regulares, ex variis SS. Pontificum privilegiis, occasione itineris aliave de causa, ac debita licentia Superiorum etiam praesumpta, Missam celebrare possunt una hora ante auroram ac una hora tantum post meridiem, id est possunt terminare Missam una hora ante auroram, vel incipere una hora post meridiem¹.

305. Privilegium hoc Regularibus concessum non est locale, sed personale, ita ut eo ubique uti possint.

306. Idipsum facere possunt Sacerdotes saeculares in Ecclesiis Regularium².

307. Missa privata dicenda est saltem post Matutinum et Laudes expletas, nisi rationabilis causa aliter suadeat.

308. Missa conventualis autem, non obstante consuetudine quacumque, celebretur post Tertiam in omnibus festis duplicibus, semiduplicibus, Dominicis et infra Octavas. Missa vero de Tempore dicitur post Nonam in Feriis Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum (etiam infra Octavam Pentecostes), sicuti et Missa Vigiliarum in quibus ieiunatur; post Sextam autem, si ieiunium locum non habeat³, etiam si dies sint solemnes.

¹ Suarez, in p. III, t. 3, d. 80, s. 4.

² Indult. *Quanta in vinea Domini*, Gregorii XIII, 7 Maii 1578.

³ Rubric. Missal. t. XV, n. 2.

§ II. — De Altari.

309. Altare, sive fixum sit sive portatile, quod pro Missae Sacrificio servit, sit lapideum, necessariis sacris Reliquiis reconditis exornatum, ab Episcopo consecratum et immune ab omni execratione ¹.

310. Ut super illud a quolibet Sacerdote commode celebrari possit, habeat altitudinem supra suppedaneum circa 97 aut 100 centimetr., latitudinem mensae 60 aut 65, et longitudinem ad minimum 180 centimetr.

311. Sedulo attendat Sacerdos in Altari portatili, vel etiam fixo, sed ora lignea circumdato celebrans, ut super ipsamet petra sacra consecret et alias caeremonias peragat.

312. Petra consecrata ex integro tela cœrata sit contacta ².

313. Suppedaneum dividat Altare a soli planitie ³.

314. Altaris planities operiatur praeter telam ceratam, tribus mappis seu tobaleis lineis ⁴ mundis et benedictis. Superior saltem tam oblonga sit, ut quasi ad terram pertingat ⁵, cum duabus aliis brevioribus vel saltem una duplicata. Pars anterior, iuxta Rubricas Missalis, pallio sit contacta coloris, quoad fieri potest, festo vel Officio convenientis.

315. Ad conservandum Altare a pulvere aliisque sordibus, licet decenti tapete vel tela Altaris planitiem

¹ Ex plurimis S. Rit. C. Decretis.

² Pontif. Roman. De Altaris consecratione.

³ S. Rit. C. 16 Jun. 1663.

⁴ S. Rit. C. 15 Martii 1664, in una Pisaur.

⁵ S. Rit. C. 30 Decemb. 1881.

contegere; tempore tamen Sacrificii, expositionis SS. Sacramenti etc., haec tela omnino ab Altari auferenda est, ita ut integra mappa et non solum media pars alba appareat.

316. Super Altaris mensam nihil omnino ponatur, quod ad Missae Sacrificium vel Altaris ornamentum non pertineat ¹.

317. In medio Altaris inter candelabra Crux collocetur cum imagine Crucifixi ², nisi in Altari iam adsit magna statua vel tabula S. Crucifixi, aut expositum sit SS. Sacramentum, si consuetudo invaluerit ³.

318. Sit haec Crux oculis tam Sacerdotis quam populi ⁴ tam obvia, ut facile videri possit; et ita alta, ut pes Crucis seu imago Crucifixi candelabris supereminet ⁵.

319. Crux illa non tantum tempore Missae, sed semper in Altari prostare debet.

320. In Altari saltem duo candelabra cum candelis ex cera et non ex sebo, stearina, etc. ⁶ hinc inde in utroque eius (Altaris) latere stare debent.

321. Ad Missam privatam, nisi Celebrans sit Episcopus aut Protonotarius Apostolicus, aut speciale habeat privilegium, plus quam duas candelas accendere non licet ⁷. Licet tamen tempore hyemis, vel dum Missa antelucano tempore celebratur, aliam candelam iuxta Missale

¹ Rubr. gener. Missalis, t. XX.

² Ibid.

³ S. Rit. C. 11 Martii 1871; et 2 Sept. 1741, in Aquen.

⁴ S. Rit. C. 17 Sept. 1822.

⁵ Caerem. Episcop., l. I, c. 12, n. 11.

⁶ S. Rit. C. 10 Dec. 1857, in una Carolinen.

⁷ Caerem. Episc. l. I, c. 29, n. 4; et ex pluribus S. Rit. C. Decretis.

apponere, dummodo non sit formae palmatoriae seu bugiae episcopalis. In Missa conventuali vero, quae ut sollemnis habetur ¹, ac in festis solemnioribus, accenduntur quatuor aut sex candelae ratione solemnitatis ².

322. In expositione SS. Sacramenti cum Pyxide, accenduntur ad minus sex candelae; in solempni vero standum est instructionibus Ordinarii, ut suo loco dicetur. Item in Officio Defunctorum solempni accenduntur sex candelae.

323. Praeterea in Altari adsint legile seu pulvinar, tabellae Secretarum, ac campanula in gradibus seu melius in abaco seu credentia si adsit, quae pulsatur ex Rubricae iussu ad *Sanctus* et ad utramque elevationem, et ex usu a S. Rit. Congregatione tolerato ad *Domine, non sum dignus*, tantum ubi adest consuetudo ³.

324. Omittitur pulsus campanulae in Missis privatis, quae ad Altaria lateralialia tempore expositionis SS. Sacramenti celebrantur, dum canitur Missa solempnis, dum instituitur processio, aut in Ecclesia fit Absolutio Defuncti.

325. Quoad reliquum ornatum Altaris, ratio temporis habenda est; tempore vero Adventus et Quadragesimae, quando Officium dicitur de ea, exceptis Dominicis *Gaudete* et *Lactare*, non licet ornare Altare floribus et Sanctorum Reliquiis; bene vero tempore Septuagesimae etc., Rogationum et Vigiliarum, etiam quando color est violaceus.

326. Cum celebrantur Officia pro Defunctis, nullae imagines mortuorum vel Cruces albae, flores etc. ap-

¹ S. Rit. C. 17 Dec. 1888, in una Ord. nostri, ad n. 7.

² Ibid. et S. Rit. C. 12 Sept. 1857.

³ S. Rit. C. 14 Maii 1856.

ponantur, sed omnia ornamenta Altaris, excepto conopeo Tabernaculi, quod tunc erit violaceum, sint nigra ¹.

327. Quae certis festis servanda sunt, suis locis aut in Calendario indicantur.

§ III. — De vasis sacris.

328. Calix, quo Sacerdos utitur ad Sacrificium Missae celebrandum, sit aureus, argenteus intus inauratus, aut etiam cupreus, qui habeat tamen cuppam argenteam aut stanneam, in utroque casu intus bene inauratam ², non vero ex quocumque alio metallo; cum Patena similiter argentea aut stannea ac inaurata saltem a parte concava.

329. Item bene deaurata esse debent in parte interiori alia vasa sacra, nempe Pyxides seu Ciboria, in quibus Particulae consecratae asservantur pro Communione Fidelium, lunula Ostensorii, capsula, in qua ipsa lunula includitur, et vascula sacrorum Oleorum.

330. Calix cum Patena ab Episcopo consecrari debent; lunula vero ac vasa ss. Oleorum non consecrantur, sed benedicuntur a Sacerdote facultatem habente benedicendi vasa ac paramenta sacra, id est in conventibus nostris a Superiore locali ³.

331. Vasa sacra semper munda conserventur ac nitida, et identidem a Sacrista Sacerdote vel a Ministro in Sacris constituto mundanda sunt ac lavanda.

332. Amittunt consecrationem seu exsecrantur, dum per fractionem vel aliter amittunt figuram aut formam

¹ Caerem. Episc. l. II, c. 11, n. 1.

² Missal. De Rit. servand. in celebrat. Missae, t. I, n. 1; et S. Rit. C. 31 Aug. 1867.

³ Leo X, Constit. *Religionis suadet*.

essentialem, seu dum fiunt inutilia vel potius inepta ad usum sacrum, v. g. si in fundo cuppae fuerit foramen, aut si cuppa per fractionem separaretur a pede, etc. etc.

333. Quando inauratio Calicis et Patenae decidit, iterum inaurari ac consecrari debent ¹. Per modicam vero reparationem, modo nulla fiat fractio notabilis, non amittunt consecrationem; nec per usum profanum, quamquam talis usus sit graviter illicitus.

334. Vasa sacra, antequam artifici tradantur reficienda, a manu Sacerdotis vel mediante instrumento non debent exsecrari ².

335. Clericis imo et Laicis nostris, qui Sacratio inserviunt, licet in Sacratio vasa sacra (cum aliquo linteo tamen) et linteamina, quae SS. Sacramentum immediate attingunt, tangere, magna tamen reverentia. Ipsi tamen nunquam Corporale aperiant, ne, si forte aliquae adsint in eo SS. Particulae, in terram decidant; nec ipsi vasa sacra aut Corporalia et purificatoria lavent, sed solus Sacerdos vel saltem Minister in Sacris constitutus.

336. Superiorum et praesertim Sacristae est, vigilare, ut vasa sacra (quod valet etiam de paramentis) sana, integra et divino cultu digna et decencia conserventur, deficientia restaurentur seu reficiantur, et quae amplius non serviunt, tollantur.

§ IV. — De paramentis sacris.

337. Corporale, Alba, Amictus, palla, purificatorium et mappae Altaris debent esse ex lino aut cannabe,

¹ S. Rit. C. 14 Iunii 1845.

² S. Rit. C. 20 April. 1822.

minime vero ex gossypio aut ex alia materia quacunque ¹; et sint semper mundissima.

338. In medio plicaturae anterioris, non in medio Corporalis, parva Crux acu pingatur, ut eodem semper modo extendi et plicari, et Hostia eodem semper loco deponi possit, ne fragmenta consecrata forte Corporali inhaerentia perdantur.

339. Praeter Hostiam, Calicem, Ciborium cum particulis consecrandis aut consecratis, nihil deponere licet super Corporale. Idem valet, et strictissime est observandum, quando SS. Sacramentum exponitur; tunc enim totum Corporale sub pede Ostensorii extenditur.

340. Corporale semper intra bursam, nunquam autem extra aut supra, aut etiam manu ad Altare aut de Altari in Sacratio portetur, nec extensum super Altare relinquatur ²; sed a quolibet Sacerdote aut Celebrante post Communionem plicetur, bursae includatur, et cum Calice in Sacristiam reportetur.

341. Palla potest esse quadrata vel rotunda; sit absque picturis, sed sola parva Cruce in medio partis, quae Calicem respicit, ornata; ipsa deficiente aliud Corporale plicatum substituitur.

342. Purificatorium, ut a manutergio secernatur, in medio parvam Crucem acu pictam habeat.

343. Amictus in medio inter chordulas Crucem acu depictam habeat, chordulaeque ita longae sint, ut antepectus faciliter ligari possint.

344. De superpelliceis, rochettis ac manutergiis, S. Rit. Congregatio quoad materiam nihil statuit, quia

¹ S. Rit. C. 15 Maii 1819.

² S. Rit. C. 13 Sept. 1704.